


HISTORICA EVOLUTIO ATQUE EXOR-
NATIO SEPULCHRI S. P. NORBERTI IN
AEDIBUS STRAHOVIENSIBUS, PRAGAE

Postquam Casparus a Questenberg, abbas canoniae Strahoviensis, post immensos necnon vitae periculo iunctos conatus, intercedentibus Imperatore Ferdinando II., Albrechto de Waldstein, generalibus com. Henrico Schlick de Bassano, Joanne Aldringero, tribunoque militum Pechmanno anno 1626 a senatu urbis Magdeburgensis et a lutheranis conventualibus assecutus est, ut sibi ossa s. Norberti ex ecclesia B. Mariae Virginis, in qua ab a. 1134 imperturbate quiescebant levare liceret, statim ea die 4. Decembris in Bohemiam transtulit et ad interim in ecclesia cœnobii Doxanensis deposuit, ut ibi ab Ordinis sororibus cum debito honore ad translationis solemnitatem praeparentur. Ut autem religiosi S. P. Norberti filii Strahovienses sacras fundatoris Ordinis Praemonstratensis reliquias semper prae oculis haberent, simulque ut visitantes ecclesiam confestim sub primo ingressu hocce sepulchrum aspicerent, magnum sacellum e clathris cum altari in media navî ecclesiae pro reliquiis S. Patris construere cœpit. Sacellum e clathris hac de causa elegit, ut saltem sufficiens visus ad eas sacras actiones, quae ad maiorem aram in ecclesia peragerentur, libere panderetur. Dum igitur in artificum ac fabrorum officinis statuæ, columnæ et clathri elaborabantur. ipsa translatio die 1. Maii a. 1627 e Doxanensi cœnobio ad ecclesiam B. Mariae V. in Tyn, Pragae et exinde crastina die in ecclesiam B. Mariae in cœlum assumptæ in canoniam Strahoviensem cum solemnitatem Pragae nunquam antea visa est celebrata. Non occurrit animo hic enarrare totum huius solemnitatis decursum, cuius accuratam descriptionem reliquit nobis coetaneus subprior Strahoviensis Aman-dus Fabius, professus monasterii Ninoviensis, sub titulo. " Translatio S. P. Norberti . . . consummata " (Pragae, apud Paulum Sessium, 1628), nec ulteriorem annuam solemnitatem iubilarem, sed referre solummodo eas notitias, quae ad reliquias S. Patris, dein tumulum atque res artificiosas spectant.


Uti liber rationum abbatis Questenbergii (" Rationes villicationis meae " in archivio Strahoviensi) prodit, impensi sunt ad translationem reliquiarum a. 1627 summatim 10.927 Imperiales thaleri et quidem pro vexillis, crucibus, tedis, sarcophago, portis triumphalibus, musicis et nummis argenteis ac aureis (medaillis), qui in processione inter populum spargebantur. Magnam expensarum partem compensaverunt Imperator Ferdinandus II., tres fratres

A. Closter kirch. D. Refectorium
 B. Probstei. E. Bräusauß.
 C. Dormitorium F. Kuchengarten

Das Kloster unserer Lieben Frauen In Magdeburg




Monasterium B. Mariae V. Magdeburgi, olim Ordinis Praemonstr.




Arca Reliquiarum Sancti NORBERTI cum ara cui
medianfibus aligeris innititur.


Altare cum reliquiis S. Norberti ab abbate Questenbergio a. 1628 positum.




Sacellum Divo Norberto in ecclesia Strahoviensi dicatum.



Cedrina arca pro reliquiis S. Norberti a comite de Vřesovec donata.



Corpus S. P. Norberti in cedrina arca depositum.



Caput S. P. Norberti.



Hodierna depositio S. P. Norberti in aeneo sarcophago.

abbatis aliique magnates bohemi. Imperator praeterea donavit duo magna vexilla, unum pro Imperio, alterum pro Bohemiae regno, pretio 400 thal. Frater abbas Gerardus de Questenberg, Consiliarius caesareus bellicus, pro novem columnis aeneis ad novum s. Norberti altare 404 thal. dedit. Alter frater Hermannus, Consiliarius caesareus ipsiusque camerae secretarius, praeter donum 1000 Imper. obtulit adhuc duos angelos ex aere fusos. Crispinus Fuk, abbas Milovicensis ac praepositus Doxanensis 1000 Imp. donavit necnon argenteam crucem pro altari s. Norberti atque splendidum velum. Juxta hasce rationes videretur, altare cum sarcophago s. Norberti stetisse iam a. 1627 in ipso translationis festo, attamen ex annalibus monasterii liquet, altare et sacellum demum ad anniversarium translationis festum die 31. Maii a. 1628, quando Imperator cum Imperatrice et tota aula solemnitati aderat, fuisse perfectum.

Descriptio altaris, de quo hodie nihil restat, in supra memorato opere Amandi Fabii invenitur. In basi ex marmore rubri coloris stabant trina serie novem columnae cochleatae ex aere fusae, circumductae vite cum uvis, quaevis 1 m. (3' 2") alta et 45 kg. (90 libr.) ponderis. Confectae sunt Pragae, nam die 2. Januarii 1627 obstringit se magister *Jorg (Georg) Rebel*, fusor et civis Veteris urbis Pragensis, se 8 cochleatas columnas vitis ornamento decoratas non posterius quam ad octo dies post Pascha esse fusurum et artificialiter producturum. Pro labore accipiet 35 crucig. per libram. Summatim accepit 5 sexagenas et 10 cruc. Secundum priorem propositionem tantum octo columnae in quaterna serie altaris mensam portare debebant, sed temporis decursu haec propositio mutata est, uti dictum. Super has columnas imposita est altaris mensa e marmore rubro, 1.91 m. longa, 1.20 m. lata et 0.18 m. alta. In ipsius angulis super quadratas bases ebene vestitas duo angeli ex aere fusi stabant, qui in exporrectis manibus sarcophagum cum reliquiis S. Patris portabant. Singuli erant 1.31 m. alti et ponderis 450 librarum. Hos artifex "nova quadam arte" ita perpulchre tinxisse fertur, ut intuentibus sicuti aurei viderentur. In Bavaria fuisse fusos produnt verba epistolae Hermanni de Questenberg, qui die 29. Apr. 1628 abbati Tridento scribit: "Num statores Norici, spiritus administratorii, hierothecae Norbertinae baiuli in tempore venerint et expectationi responderint, sciturio".

Sarcophagus ipse, arcae foederis in Veteris Testamenti tabernaculo positae haud dissimilis, e duabus partibus constat, nempe e scrinio sub triplici clavi custodito et ex operculo, quod leviter super scrinium iacet. Operculum e querci ligno confectum ac cedrino ligno

obductum habet formam tecti, quod in utroque latere aliquantulum in convexum abit, superius vero in planitiem transit. Planities est sine ornamentis, quia prius sarcophagum duo angelorum capita cum alis exornabant, sed a. 1811 deposita sunt, ut sarcophagus commode in novam aliam tumbam aeneam immitti posset. Tantum aperturæ eorum in operculo remanserunt. In longioribus operculi lateribus tres conspiciuntur tabellæ coloris notabiliter obscurioris quam lignum cedrinum, quæ naturaliter coloratæ sunt ad instar nubium vel undularum caeruleatarum. Vetus Fabii descriptio lignum hoc "indicum" appellat et permultum laudat, quasi cum ebena tam pondere et laevore, quam lenitate ac nitore certare videretur. In hisce tabellis ex reliquo opere emergentia capita angelorum cum alis ex argento sculpta sunt imposita, quod opus artificiosam manum prodit, nam singuli anguli diversam ostendunt faciem necnon leniter sunt caelati. Cedrinae zonæ inter tabellās alternatim roseolis et oblongis argenteis ornamentis sunt ornatae. Arca ipsa pro recondendis reliquiis, 1.62 m. longa, 0.54 lata, 0.36 m. alta, 0.04 m. crassa, interne damasco byssini coloris cum palmatis ornamentis est circumducta. In anteriori parte cedrina rursum tres insertae sunt tabellæ e ligno indico cum undulata margine. Mediam tabellam exornat scutum donatoris arcae domini *Guilielmi de Vresovic* ¹⁾, quod figuræ duorum angelorum ex argento sculptae tenent.

Scutum hocce perquam nitide encaustica pictura cum deauratione est elaboratum, colores praeclare adhuc fulgent, delieationes signorum aureo colore affabre sunt perfectæ. Inscriptio in voluta incisa sonat: *Guilhelm Baro a Wrzesowitz et Monte Dobravio S. C. M^{is} Cons. s Camer s Supre. Reg. Boh. Moneta^m Praef. et Praeses Reg.* ^{ao} *Came.* ^{ao} " Medium anterioris tabulae ornatum duae conchae in

1) A. 1607 cum fratre suo Volfgango Ilburgo de Vresovic in statum nobilem est susceptus atque a Caesare Rudolphus II. propinationum praefectus nominatus, dein a. 1612 Consilarii Caesarei et supremi monetarum praefecti in regno Bohemiae dignitate est condonatus. In praeclari argenti fodinis civitate Kutná Hora (Montes Cutnae) uxorem duxit a. 1614 Ludmilam de Voderad, relictam domini Sanovec (Chanovec). Propter strenuam catholicæ fidei adhaesionem et aliquantenus superbam indolem non fuit civibus huius civitatis popularis, nam in rebellionem statuum bohemicorum a. 1618 clam e Kutná Hora egredi est coactus. Propter fidelitatem suam d. 12 Dec. a. 1622 in baronum statum est exaltatus et in confiscatione bonorum rebellium bohemicorum dominorum a Caesare valde est locupletatus. Qua commissarius restaurationis catholicae in districtu Cáslaviensi cum abbate Questenbergio, eiusdem districtus concommisario, amicabiliter est conversatus. A. 1623 brevi post uxoris suæ mortem in matrimonium duxit Annam Ludmilam comitissam de Salm-Neuburg. A. 1625 praeses camerae regni est nominatus. Die 4. Nov. a. 1628 exaltatus ad statum comitis. Obiit a. 1640.

cedrino ligno sculptae augmentant, quae ex plano leniter exstantes lineamenta et flexiones deargentatas habent. Haec anterior arcae tabula ad dextram et sinistram scuti Vresoviciani partem exornata est adhuc duobus numismatibus cum imaginibus sanctorum Ordinis Praemonstratensis inter maiora capita alatorum angelorum locatis. Ad sinistram partem conspicitur s. Norbertus cum ostensorio in manu dextra, cum pontificali cruce et palma olivae in sinistra. Circum circa legitur inscriptio : *S. Norbertus Patriarcha Praemons*". In dextra parte conspicitur S. Augustinus cum libro in manu et baculo. Legenda : "*S. Augustinus Doctor Ecc.*". Exornationem tabulae anterioris suppleant denique argentei anguli cum parvis angelorum capitibus, oblonga ornamenta ex argento caelata supra et infra numismata sanctorum et roseolae supra et infra scutum Vresovicianum.

Simili modo ut tabula anterior etiam posterior arcae tabula est exornata cum hac diversitate, quod in media voluta scutum uxoris domini de Vresovic est collocatum cum legenda : "*Anna Ludmilla Wrzesowitia Nata Comitissa a Salm, Illustrissimi Domini Baronis Coniux*", in sinistra deinde parte numisma cum b. Godefrido, in dextra cum b. Hermanno Joseph. Ille in dextra manu tenet coronam, in sinistra cranium et inscriptionem habet : *B. Godefridus Ord. Praem.*", iste in dextra manu allevat Jesulum, in sinistra autem manu lilium cum rosario et legendam habet : *B. Josephus Ord. Praem.*".

Laterales arcae tabulae in medio in portae formam sunt excisae, in cuius centris iterum numismata cum sanctorum imaginibus sunt collocata, reliqua pars tabulae per transversale lineas in quatuor areas divisa quatuor roseolas argenteas in tabellis ex indico ligno confectis ostendit. Tabula a dextris habet in numismate b. Hroznatam, victricem martyris salmam tenentem cum inscriptione : "*B. Hroznata Ord. Praem.*", a sinistris b. Milonem in dextra manu fasciculum florum, in sinistra baculum tenentem, cum legenda : "*B. Milo Ord. Praem.*".

Sarcophagus, ut ex Questenbergii rationibus patet, in officina aulici fabri Pragensis est confectus, cui pro labore 180 fl. rhen. sunt soluti. Nomen eius quidem ex rationibus non apparet, attamen verosimilius fuit is *Casparus Pechtcl*. Argentea ornamenta confecit *Christophorus Engelhardt*, aurifaber et civis Minoris urbis Pragensis, nam die 18. Dec. 1626 obstringit se arcam s. Norberti sicuti aliam, quam iam prius pro abbate effecit, argento ad initium sequentis anni obducturum, numerans sibi pro semuncia argenti 14 crucigeros.

Aliud etiam pactum pepigit sine dato, in quo confirmat, se ab abbate 4 marcas et 2 semuncias puri argenti accepisse, ut ex eo sex patronos Ordinis maiores et duos minores angelos elaboraret. De labore 16 cruc. pro semuncia est conventum. Summatim accepit 3 ducatas, 19 marcas 43 semuncias et 1/2 drachmae argenti, 66 1/2 thaleros et 133 florenos. Utrum omnia argentea ornamenta in arca dictus Engelhardt elaboraverit, certe affirmare non licet, nam quaedam diversitas in caelatura nonnullorum ornamentorum v. gr. cherubino-
rum in medio arcae cum scutis sine dubio est notabilis. Ergo aut alius faber eiusdem officinae Engelhardtianae ea confecit, aut in alia officina sunt productae. Alius enim aurifaber pro abbate laborabat, nempe Zacharius Holhagen, civis Minoris urbis Pragensis, qui v. gr. a. 1630 pollicetur se pro 50 fl. rh., exclusa materia, perfecturum esse iuxta delineationem argenteum et deauratum calicem, duodecim magnis gemmis et duabus vel tribus duodenis bohemicorum granatorum ornatum cum imaginibus Salvatoris, s. Norberti et s. Augustini in cuppa, atque B. Mariæ V., s. Veronicæ (Eponicæ) et s. Ioannis in pede calicis.

In hocce igitur sarcophago reposita sunt ossa s. Patris Norberti cooperta pulchro velo (brocato) e filis argenteis, aureis, rubris ac nigris contexto²⁾. Velum hoc donum est R. D. Norberti Zelecky equitis de Pocenic, abbatis canonice Gradicensis in Moravia, qui velum hoc una cum casula ex eadem materia s. Norberto a. 1696 condonavit. Aliter ossa s. Norberti fere plane obductae sunt fimbriis nitide ac diverso modo ex aureis et argenteis filis concinnatis cum roseolis atque vitreis gemmis, quod diligenti labore monialium cœnobii Doxanensis a die 12. Dec. 1626 usque ad finem Aprilis a. 1627 cum pietate est perfectum. Praesertim caput s. Patris notabili cum reverentia est exornatum. Iacet in pulvinari ex byssino aureis filis trina serie plexis fimbriato cum pretiosis gemmis, ad quod cinctura ex aureis filis in crucis forma est affixum. Cranium supra ornant adhuc undecim funiculi naturalium margaritarum in ultima serie non parvae magnitudinis. Six exornatum caput coopertum est tenui musselino, in quo super caput corolla ex aureis filis et floribus contexta est imposita. Propter insufficientem arcae dimensionem corpus s. Patris Norberti lignae tabulae iam pridem affixum in tantum abbreviari debuit, ut crurum ossa aliquantulum inter pedum ossa essent subducenda, caput dein ad pedum plantas ponendum.

2) Error est, quasi reliquae S. Norberti in vitrea tumba essent repositae, dehinc exortus, quia reliquiae s. Patris in solemnitatibus jubilaes ab. a. 1727 in vitrea lectica, quae in monasterii depositorio asservatur, portari solent.

Arca foris ea de causa brevior facta est, ut facile inter crates sacelli, quod solum ferme totam latitudinem ecclesiae navis occupabat, subintroduci posset. Ossa s. Patris secundum sententiam doctoris Henrici Matiegka, professoris anthropologiae in Universitate Pragensi coloris sunt adustioris ac optime conservata. Hoc exinde est ortum, quia cadaver s. Norberti iam antiquitus in sicca crypta est depositum. Ex dentibus nulla deest, Singula ossa etiam minora filo metallico vel bombycino diligenter sunt coniuncta ac totum corpus, uti supra dictum est, aureis filis et floribus more claustrali ornatum. In quantum hic apparatus dignoscere licuit, desunt ex corpore solummodo nonnulla ossicula, uti v. gr. ultimus articulus ex digito pedis, qui iam ab abbate Questenbergio cathedrali ecclesiae s. Michaelis cum insigni parte de cineribus s. Patris donatus est, dein manubrium sterni, una patella et os coccygis. Singula ossicula de pedibus temporis decursu iam soluta separatim in arca sunt inventa et quae de ipsis cum permissione Sedis Apostolicae a. 1916 ablata sunt, in protocollo archiepiscopalis commissionis specialiter erant consignata. Ex hac perlustratione apparet nudorum ossium compages facta fuisse tempore translationis in Doxanensi monasterio a quodam mechanico anatomiae corporis humanis sat gnaro, qui illam in quantum potuit, modo naturali statui correspondente construxit. Nihilominus duo ossa femoralia transposuit ita, ut sinistram in dextra parte et vice versa dextram in sinistra parte collocaverit ac similiter finales pollicum articulos aliis articulis complevit.

Altare cum reliquiis s. P. Norberti collocatum est, ut superius dictum, in sacellum e clathris confectum, quod prius in media ecclesiae navi e regione ambonae stabat ita, ut e presbytero binae et binae personae in processionibus commode transire possent. In inferiori parte formae quadratae longum latumque fuit 2,67 m. superius transiens in formam turrliculi usque ad altitudinem 5,67 m. Pavimentum eius tegulis marmoreis erat stratum, dum residuum ecclesiae pavimentum lateres tantum tegebant, Maiorem anterioris parietis partem fores craticulatae 2,67 m. altae et 1,20 m. latae in medio occupabant. Angulares sacelli columnas, crassiores et ornatiores quam columellae in parietum medio erant, sublevabant a pavimento spiralia pulcra ferrea. In vertice cuiuscunque angularis columnae stabat angelus in globo cum palma in una et ovali scuto in altera manu. Interna parietis arca per mediam columellam et transversam regulam in quatuor areas dividebatur, quarum duo vicinae semper parem craticulatum ornamentum habebant, ceterae duo iterum diversum ab inferioribus volutum ostendebant. Limbi sacelli,

angulares columnae et transversae erant nigri coloris, margines autem earum deauratae et hoc ex abbatis consulto, quia hisce colores erant caesareae familiae habsburgicae propriae. Craticulatae volutae in igne auratae, excurrebant in aureas roseolas et liliaceos flores ita, ut sacellum a pictore variis coloribus pictum varietatis effectum praeberet. Supra limbum cuiuscunque parietis quadrati sacelli eminebant duo trianguli cum lychno in apice. In disiunctione triangulorum consedebat in limbo iterum angelus cum scuto pro signando elogio.

Angelus in dextro angelo anterioris parietis in globo stans habuit in scuto, opere aliquantulum emergenti, monstrantiam cum inscriptione: "*S. Norbertus augustissimi Sacramenti vindex*", alter in sinistro angulo duo symbola portabat, scilicet in superiori parte duas manus, thronum papalem tenentes et merita s. Patris de introductione Innocentii II. ad sedem papalem contra schismaticum Petrum Leonis commemorantes, et in inferiori parte s. Norbertum pede Tanchelinum conculcantem cum inscriptione: "*S. Norbertus haereseon et schismatum domitor*". Tertius angelus in angulo ad Epistolae partem ostendebat in scuto s. Norbertum eleemosynam distribuentem cum inscriptione: "*S. Norbertus pauperum alitor*". Quartus denique ad Evangelii partem tenebat scutum repraesentans S. Norbertum in medio altercantium stantem manumque unius in alterius manum ponentem cum inscriptione: "*S. Norbertus dissidentium conciliator*". Simili modo angeli in disjunctione triangulorum sedentes merita s. Patriarchae elogiis laudabant. Primus super sacelli ianuam monstrabat s. Norbertum daemonum coetum pede conculcantem cum legenda: "*S. Norbertus daemonum terror*". Alter angelus ad Epistolae partem habuit in scuto s. Patrem in pontificali ornatu sedentem cum imperii Romani signo scil. aquila et signo civitatis Magdeburgensis cum inscriptione: "*S. Norbertus Magdeburgensium episcopus et Germaniae primas*". Tertius angelus versus ad majus altare ostendebat s. Norbertum cappa sua regularium suorum coetum tegentem cum verbis: "*S. Norbertus Praemonstratensium Patriarcha*". Quartus denique angelus in evangelii parte cum legenda: "*S. Norbertus reliquiarum coelitus index*" repraesentabat s. Norbertum iam diu quaesitum s. Gereonis sepulchrum Coloniae invenientem. Singuli angeli ex aere fusi 23 kg. ponderantes ex fusiora officina noti iam Georgii Rebell prodierunt. Pro quocunque 45 fl. sunt soluti.

Inferior quadrati sacelli pars transibat superius in tectum in forma cuppae alternatim ex rectis et undulatis radiis concameratum, quod

superius interim in quadratam formam vario modo prophila'am cum quatuor obeliscis in angulis transibat. In tecti apice stabat in uno pede angelus cum victrici palma et corona in manibus, 70 cm. altus. Sacellum sine angelis 30 1/2 cub. metr., cum angelis 32 1/2 cm. ponderabat.

Hocce admirabile cancellatum sacellum iuxta abbatis Questenbergii rationes et contractum de die 8. Febr. 1627 magister Iacobus Ernst, serarius in Minore civitate Pragensi pro 2328 sexag. gros-sorum 40 cruc., 100 thal. et 100 sexag. praemii confecit. Pictori Hanussio Schlegmüllero, qui abbati promisit se quinque vel sex socios ad laborem accelerandum esse recepturum, praeter colores et aurum solvit 100 sexagenas; pictor ipse oleum et vernicum dare debuit. Coëtaneus hujus operis descriptor Amandus Fabius in opere: *Vita, mors et translatio s. Norberti*. Praegae, II. editio a. 1671, pg. 147) ait: "Certe constat peritorum confessione, imo praeconio, supra invidam tam ingentis illius e ferro, hoc est intrac-tabili materia, operis artificium esse; et omnino tale, cui geminum non temere alibi reperiamus".

Anno 1630 ad sacelli norbertini decorem duo angeli ad sacelli fores in fundamentis stantes et cum strictis gladiis introitum custo-dientes accesserunt. Donati sunt a fratre abbatis Questenbergii, generale Gerardo a Questenberg, nam die 25. Maii h. a. scribit fr. Hermannus Vienna abbati: "D. Fr. Gerardus quoque Pragam cogitat; hodie mihi retulit, Norimberga sibi scriptum angelos in ornamentum tumbae s. Norberti propediem comparituros. Veniam et contemplabor miracula Strahoviensia, an cum Bodenianis con-ferri mereantur". Notandum vero est, nunc commemoratos angelos esse alios, quam illos qui tumbam s. Norberti in manibus portabant et iam a. 1628 teste Fabii opere a. 1628 edito stabant. Accuratiorem notitiam invenimus in abbatis Questenbergii rationibus ad a. 1631, ubi dicitur: "Illustris Dominus meus frater Gerardus, liber baro de Questenberg, S. C. M. Consiliarius bellicus, iussit fieri duos angelos pulcherimi operis ex aere fusos, quo gladios denudatos in manibus tenentes ingressum ad sepulchrum seu ad altare et sanctas reliquias s. Patris nostri Norberti custodiunt et in caesarea urbe Norimbergensi confecti sunt. Opus et subvectio 500 thal. constabat. Columnas in quibus stant, ego Praegae fieri iussi impensis monasterii mei. Columnae plus quam 6 metr. prag. ponderant et pro ipsis 250 thal. sunt soluti. Summatim angeli cum columnis et collocatione 964 thal. thal. 28 cr. constabant". Eodem anno etiam abbas duos alios angelos, qui genuflexi in prophylatis columnis iuxta fores intra sacel-

lum stabant et in una manu palmam, in altera cadelabrum cum candelis portabant, fundi iussit pretio 103 thal.

Temporis decursu ad s. Norberti decorem alia insignia dona accesserunt. Sic a. 1629 Pricipissa Polyxena a Pernstein in mortui mariti memoriam, qui erat Sidonius Adalbertus princeps de Lobkovic, supremus regni Bohemiae cancellarius, argenteam hermam pro capite s. Norberti includenda donavit. Herma 60 libras ponderabat, auro pretiosisque gemmis exornata, 1800 thal. valoris censebatur. Haec tempore obsessiones Pragensis a Suecis a milite suecico a. 1648 est ablata.

A. 1633 abbas Questenbergius per magnam ligneam coronam similem ei, quam in ecclesia s. Hieronymi Vindobonae vidit, iuxta delineationem vindobinensis pictoris a pragesibus sculptoribus super s. Norberti sacellum procuravit. Corona in vertice sphaeroidem cum cruce habebat. Per hujus crucis intermedium transmissa fuit catena, in qua corona ex ecclesiae convexione pendebat. Circulare portatorium, quod e 660 tiliaceis caudicibus constabat, et quatuor catenae cum superiori catena coniunctae totam materiam sublevabant. In lateribus costis sicut latiori margine coronae minores sphaeroides fuerunt impositi, ac si pretiosi lapides varietate colorum insignes coronam exornarunt.

Infimum coronae marginem octo cherubinatorum, alis invicem se tangentium capita efficiebant. Externe corona aureo, interne argenteo colore fulgebat et tam grandis erat, ut non solum sacellum, sed etiam duos angelos ante fores stantes contegere posset. Erat 8 1/2 m. (14 1/4 cub.) alta, in medio 7 3/4 m. (13 cub.), inferius 5 m. (8 1/2 cub.), ampla ac in circuitu 16 m. (27 cub.) numerabat. Protenso coronae in comparatione cum sacello fuit igitur omni proportionem major et propterea desiderabili prospectui in ecclesia non proficiebat. Pro hac corona abbas sculptori, pictori, fabro ferrario et lignario summam 1680 thal. solvit.

Tali modo per aliquot a paucos annos abbatis Questenbergii cura honestum novi Regni Bohemiae patroni sepulchrum in Strahoviensi ecclesia est constructum et sic integer stetit usque ad a. 1727, quando abbas Marianus Hermann ad solemnitatis jubilaum totum sacellum denuo pretio 600 fl. deaurari iussit, novumque baldachinum super sepulchrum ex rubro, argenteis filis festo carmosino, nec non portatilem lecticam crystallino vitro vitreatam pro reliquiis s. Patris in processione imponendis comparavit. Sed tempore occupationis urbis Pragensis a Gallis et Bavaris a. 1742 tam sacellum quam ligneae corona magnum passa est detrimentum, quia praesertim Straho-

viensis canonia in monte posita et a milite gallico occupata facta est meta bellicorum tormentorum caesareni militis Pragae impugnat. In intervallo a die 9. Aug. usque ad diem 13. Sept. ex tormentis 408.753 globi et 29.856 ignivomae bumbae sunt emissae, de quibus 507 bombae in monasterii septa inciderunt. Una ex bombis die 17. Aug. ecclesiae lacunar in prebyterii medio trajecit, altera supra s. Norberti sacellum cecidit, quae illam per Bohemiam famosam ligneam coronam periculose laesit, ita ut die 20 Junii 1743 deponi debuerit.

Similiter annus 1810 sepulchro s. P. Norberti non parvum causavit damnum, cum die 14. Ian. caesareum mandatum promulgatum esset, ut omnes ecclesiae, abbatiae ac conventus aurum et argentum in emolumentum Imperii debitorum extradatur. Ex omni ecclesiae suppellectili tantum tres argentei calices, superior monstrantiae at baculi pars, duo argentei cantharulli et 12 cultri monasterio sunt relict. Iam die 15. Ian. in monetarum magistratu ex Strahoviensi canonia 360 marcae (180 librae 24 lotones) argenti sunt depositae. Ex thesauro s. Norberti 10 minora candelabra ab abbate Lohelio donata, 7 calices argentei, magna lampas (sic dicta Schweigeriana) cum 4 minoribus coniuncta, 37 librarum 24 lotonum ponderis, item 5 minores lampades, quae 36 libras 14 lotones ponderabantur, item alia magna lampas ab abbate de Soreto (Schussenrieth) donata, cupreum antependium cum argentea imagine s. Norberti, corona supra arcam s. Norberti deposita, argenteae statuae s. Norberti et Elisabeth, calix 1 librae 19 lot. ponderis ex puro auro, quem s. Norberto donavit Cyrillus Hoffmann, praepositus Doxanensis († 1669).

Depaupertatum sic altare s. Norberti et depravatum per bombam sacellum non proficiebat valde decori ecclesiae et hoc eo minus, cum interea abbatum Gabrielis Kaspar et Francisci Daller cura decem altaria ex marmore affabre elaborata in lateralibus ecclesiae navibus et a. 1768 summum altare a statuaria Lauermann posita erant. Hac de causa abbas Milo Grün a. 1811 cancellatum s. Norberti sacellum dirui et s. Patris Norberti sepulchrum die 17. Apr. ad summum altare transponi iussit. Sed tunc propter incendii periculum, si ligneus sarcophagus cum reliquis inter candelas collocaretur, aliam tumbam aeneam et bene auratam apud pragensem fusorem Vincetium Herrl fieri fecit et quidem eo ampliorem, ut cedrina arca cum reliquiis commode imponi posset. Anterior paries novae tumbae decorata est opere emergenti ex aere a viennensi sculptore Iosepho Küchl iuxta delineationem Iosephi Bergler, rec-

toris academiae artium Pragensis, fuso pretio 2000 fl. et 24 ducatorum. Küchl etiam duos magnos angelos cum amphoris in erectis manibus, qui ad altaris mensam in fundamentis starent et duos alios, qui in tumba genuflexi triuni Deo signum in medio adorarent, ex ligno pro 4538 fl. et 45 duc. confecit. Solus deaurator Klinkosch accepit pro tumbae deuratione 270 ducatos. In fundamentis angelorum incisa erat inscriptio: "Lipsana norberti DIVI SIC MILO Coronat. — tranfertUr e MeDio eCCLesIae a filiis slon". Totus apparatus novi sepulchri 23.522 fl. et 352 duc. constabat.

In summo altari reliquiae s. Patris tantum usque ad annum 1873 manserunt, quando abbas Adalbertus Hron ad archiepiscopalis consistorii votum, ne corpora sanctorum in summo altari collocarentur, occasione renovationis ecclesiae Strahoviensis eas in lateralem capellam s. Ursulae transtulit, ad quem finem maius altare s. Ursulae et reliquias eius cum sodalibus ad minus altare ibidem transponi iussit. Loco duorum angelorum triuni Dei signum adorantium alii duo minores a statuaria Capek sunt impositi, qui numisma maius tenent cum inscriptione: "*Sancto Patri Norberto*". Ad maiorem s. Patriarchae sepulchri decorem a. 1889 fenestra coloribus picta accessit cum imagine s. Norberti, ad cuius pedes canonicus et soror monialis ordinis Praemonstratensis Sanctissimum ab angelis in caeli nubibus elevatum adorant. Fenestram hanc donavit capitularis Strahoviensis Thaddaeus Kotzura, emer. director realium scholarum in Liberec pretio 1000 fl.

Memoratu adhuc dignum, quod sub tumba s. Norberti conspicitur scriniolum ex marmore nigro confectum, in quo iuxta votum repositum est conditum cor ultimi abbatis Generalis Ordinis in Gallia post monasterii Praemonstratensis eversionem, ut inscriptio prodit: "Cor Reverendissimi ac Amplissimi Domini Ioannis Baptistae L'Ecuy, Doctoris Sorbonici et ultimi abbatis Generalis Ordinis Praemonstratensis, nati 3. Iulii 1740 in Casignan Luxemburgico, defuncti 22. Apr. 1834 Parisiis, in Gallia. Posuit Hieronymus Iosephus Zeidler, abbas Sioneus ao. 1835".

Strahov.

Cyrillus STRAKA, prior.

* * *

LES MS. DES VIES DE SAINTS A SAINT-FEULLIEN DU RŒULX

Parmi les quelques feuilles éparses, que les archives de l'abbaye de Tongerloos conservent encore comme souvenir de l'hospitalité